

V g
7037 6



21



Q. R. 218. 10

Vg
17037b

AD PASTORES
AC MINISTROS EC-
clesiarum in Electoratu
Saxoniae,

PIA AC NECESSARIA
Admonitio.

ANNO 1600 conscripta,
nunc verò certis de causis in lu-
cem edita.

ACCESSIT ALTRA AD EOSDEM
COMMONEFACTIO.

anno 1610. concinnata.

1. Corintb. 14.

Omnia decenter & secun-
dum ordinem fiant.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



ABDIALE

AD

AD

AD

AD

AD

AD

AD



SALUTEM IN DO- MINO PRECAMUR.



Um nos ad Synodum Dresdanam de voluntate Illustrissimi nostri Magistratus deputati perlegeremus Acta visitationis, annis proximè præterlapsis in hoc inclyto Electoratu laudabiliter institutæ & peractæ: deprehēdimus sanè, statum Ecclesiarum in plerisq; rebus ad doctrinam fidei, disciplinam Ecclesiasticam, *εὐταξίαν ἢ ἐκρημοσύων* pertinentibus, per DEI gratiam, constare saluum & inconcussum. Maximè verò lætamur, & æterno DEO, Patri Domini nostri JESU CHRISTI, unâ cum Spiritu Sancto gratias immortales agimus, quòd inter tot, tantosq; fremētis Satanæ & mundi furores & horribiles confusiones errorum alijs in locis grassantium, coelestem veritatem verbi sui, (quemadmodum ea patefacta est in Scriptura Prophetica & Apostolica, & in Augustana Confessione primâ ac invariata, cæterisque harum Ecclesiarum Scriptis Symbolicis, imprimis autem libro Concordiæ partim comprehensa breviter, partim in controversiis doctrinæ capitibus explicata, fusiùs, & ad subscribendum proposita) benignissime, hæctenus conservavit, ejusq; divinum Numen oramus supplices, ut eandem porrò quoq; in his & alijs Regionibus atque terris illibatam conservet, & ad posteritatem omnem, si qua modò futura est, clementer propaget, ad Sacrosancti nominis sui gloriam, & plurimorum hominum perpetuam salutem: Amen.

Animadvertimus etiam plerosq; Pastores ac Ministros Ecclesiarum officium facere, qua par est fide

ac diligentia, simulq; vitæ integritate quandam ceu faciem præferre, & exemplum dare ac typum exhibere, ad cuius formam Auditores quoque vitæ suæ rationes componant. Hos monemus, ut quâ cœperunt fide studioque pergant, sub indubia spe divinæ promissionis: Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Apoc. 2.

Porro quædam animadversa sunt, quæ omnino correctionem desiderant, de quibus facere non potuimus, quin pro ratione delegati muneris vos admoneamus.

I.

Primò sunt quidam, licet fortè pauciores, qui sepositâ librorû curâ, res alias agunt, Apollolici Præcepti parùm memores: Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ 2. Tim. 4. Hinc adeò fit, ut de tritissimis rebus, quæ laicis etiam notæ sunt, ex historia Biblica interrogati, quid respondeant, apud se non invenient: In articulis autem fidei penè sint pueri, in controversijs verò, quibus hodiè concutitur Ecclesia, & quarum cognitio necessaria est docentibus, planè sint hospites ac peregrinî. Horum supina diligentia cum ferri nullo modo possit, monemus illos, ut ante omnia sacrorum Bibliorum, dehinc Scriptorum Symbolicorum lectionem sibi commendatam esse sinant, & rerum sacrarum cognitionem familiarem sibi reddant, & ut Superintendentes, illorumque Adjuncti in speciali Visitatione disquisitionem instituant, quid Ecclesiæ Ministri suæ inspectioni aut visitationi subjecti, in sacris Biblijs; quid in Scriptis ab Ecclesiâ consensu publico receptis, Augustana præfertim Confessione & Formula Concordiæ, legerint aut didicerint, ut hoc medio ad majorem diligentiam exuscitentur, & non solùm pro se fidei suæ norint rationem reddere (hoc enim à quovis Christiano, laico etiam, Petrus Apostolus exigit) sed insuper ut potentes sint ad redarguendos contradicentes, & os illis obstruendum, aut certè ex Catechetica doctrinæ capitibus præmonere valeant, ac præmunire gregem, adversus
Irrucent

irruentes lupos, qui nunquam non in ovile Domini fraudulenter se insinuant.

Prodest hæc commonefactio, non tantum ad veterum excutiendum iis, qui hætenus fuerunt negligentiores, sed insuper ad accendendos cæteros, ut rei gravitate apud animum accuratiùs expensâ de quâ sibi concessum assiduitate lectionis ac meditationis per DEI gratiam magis atque magis exuscitent.

II.

Compertum etiam habemus, circa dispensationem Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ, non servari uniformem rationem: præcipuè verò in actione Baptismi, circa quæstiones de fide, secundum articulum Apostolici Symboli à quibusdam non recitari integrè, sed mutilatè. Monemus igitur, ut juxta tenorem Ecclesiasticæ ordinationis, hic Articulus haud secus atq; cæteri duo plenè recitetur.

Rursum audimus, nonnullos in consecrati panis & calicis exhibitione formulam Testamentalem verborum institutionis (Accipe, ede, hoc est Corpus Christi quod pro te in mortem est traditum, Bibe, hic est Sanguis JESU CHRISTI, qui pro peccatis tuis effusus est) prorsus omittere, & aliâ quadam uti formula, Calvinianis hætenus usitatâ. Ut ergò, quoad fieri potest, in ritibus conformitas servetur, nec cuivis liberum sit pro suo arbitrato seu libitu potius mutare quippiam, & innovare: Omnes atque singulos ad Ecclesiasticam constitutionem Anno 80. publicatam remittimus, quæ certè præscribit normam atque formam partes omnes divini cultus legitimè peragendi.

Singulatiim autem hortamur, ne quis in dispensatione Cœnæ & Symbolorum Sacramentalium exhibitione præsumat ullam aliâ usurpare formulam, præter eam, quæ verbis continetur institutionis, & præmemoratae Constitutionis Electoralis octavo Article palam præcipitur.

III.

Inter reliquas Ecclesiastici muneris partes, hæc quoque numeratur, ut fide Pastores ex Apostoli Pauli præscri-

A ;

pto

pto arguant & increpent 2. Tim. 4. Additur autem: in omni lenitate & doctrina. Danda igitur opera est, ne convicijs perstreant conciones, neve sub alicujus zeli prætextu quippiam fiat absolum aut præposterum Quod cum ita sit, dignus est reprehensione importunus zelus eorum, qui modum in objurgando tenere nequeunt, sed amarulètia verborum animos auditorum à se abalienant, vel quadam privata vindictæ cupiditate accensi causas proprias agunt, & à quibus se fortè læsos autumant, in illos è suggesto bilem suam evomunt, aut quæ per obscuros & incertos rumusculos acceperunt, illicò in suis Concionibus pro certis effutiunt. Quæ ratio, cum plus destruat quàm ædificet, ac simul autoritatem Sacrosancti Ministerij prostituat; nomine Illustrissimi nostri Magistratus admonitos illos volumus, ut si quando sunt auditores objurgandi, faciant id cum debita moderatione & Christiana mansuetudine, & eos, qui delinquent, privatim admoneant & gradus admonitionum à Domino præscriptos observent: nihil agant ex vindictâ, nihil ex affectu iracundiæ, nihil (ut Apostoli verbis utamur) ex præcipitatione judicij, sed hac officij Ecclesiastici parte, quæ circa vitia auditorum castiganda occupatur, zelo sobrio defungantur.

IV.

NImis etiam est pervulgatum, aliquam multos Pastores in morem atque modum politicorum hominum, comam demerere, quosdam etiam in publico cœtu ne quietem interprecationem, aut Evangelij prælectionem ex suggesto, vel etiam in peragendis reliquis divini cultus partibus, capita denudare, & haud aliter, ac si legibus exempti sint, pileolos suos ne movere quidem: adhæc esse quosdam illius præsumptionis, ut alios quidem Calvinismi reos agere soleant, si ad nomē **JESU** capita sua non denudent, cum quidem ipsi (nescimus quo singulari Privilegio) suos illos pileolos, ne quietem extremo attingant digitulo. Ne ergò his obverti queat id, quod Luc. 4. legitur: Medice, cura te ipsum, vel etiam illud Ethnici: Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum: monit os esse volumus

volumus, ut quod jubent alios, ipsimet factis exprimant, nec se Papali quodam fastu à talibus exemptos esse somnient.

Et quia Paulus Apostolus disertè scribit, Virum qui in Ecclesiæ coetu vel orat vel Prophetat, si quicquam habeat in capite, dehonestare caput suum: omninò debent Pastores huic Apostolicæ sanctioni se submittere, nec altiùs sapere velle tanto Apostolo; Præsertim quòd ista nonnullorum consuetudo hætenus usurpata, non potest non esse conjuncta cum suspitione fastus, superbiæ & singularis cujusdam præsumptionis, quæ si in ullo nocet ordine, in eo certè, qui est ministrorum Ecclesiæ, non potest non plurimùm incommodare.

Non ergò pudeat Evangelij Ministros, ut externo habitu Pastoralis (præsertim in peragendis Sacris) sic etiam coma capitis à reliquorum hominum ordinibus esse distinctos: ne demissione comæ videantur æmulari mores Calvinistarum, quorum Pastores à mercatoribus alijsve politicis personis vix agrè dignosci possunt.

Sed & Scholarum Moderatores & collaboratores non solum in habitu, verum etiam moribus atque gestibus se Politicis nimium conformare solent. Superintendentes ergo commonefacient illos decori, ut quia non in Scholis tantùm laborant, sed in templis Ecclesiæ DEI ministrant: ideò in omni conversatione tam publica quàm privata proximè se accommodent ad Ecclesiastici ordinis statum, præsertim cùm inter illos sint non pauci, qui & concionando se exercent, & ad Ecclesiasticum munus aspirant.

V.

Quosdam audimus tabernas frequentare cerevisiarum in oppidis, ibique potitare. Quia verò neque hoc vacat insigni scandalo, præmonitos eos volumus, ne quid tale committant posthac, sed in omnibus se formam pietatis, honestatis ac sobrietatis, ut & reliquarum virtutum exhibeant: In eos, qui spretis salutaribus admonitionibus deliquerint, animadvertetur eà, quæ par est, severitate.

Duo

I. Dno adhuc restant, de quibus vos ratione vestrorum Auditorum commonefaciendos esse judicamus. Primò, quia nimis frequenter usu venit, ut vidui & viduæ post mortem priorum conjugum, cupidè nimis & præproperè animum applicent ad novas nuptias ineundas: pro nihilo interim ducentes, quid vel natura postulet, vel honestas efflagitet: Idcirco decretum in Synodo factum est, ut viris quidem semestre tempus præfigatur, intra quod non nisi gravissimis causis urgentibus (de quibus judicium facient Consistoria) fas sit ad secunda vota descendere: Fœminis verò certis de causis ante cõpletum viduitatis suæ annum non sit integrum alias affectare nuptias.

II. Alterum concernit Scholas, quæ cum sint Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ Seminaria: Pare est huc totis viribus elaborare, ut illæ floreat, vigeantque docentium ac discipulorum studia, & inter pueros delectus instituatur, qui sint ad literas naturali quadam *εὐφροιά* ingeniiq; bonitate apti, qui secus: ut illis quidem ad inchoatum cursum strenuè continuandum quoddam veluti calcar addatur: de cæteris verò qui tardioris sunt ingenii, parentes maturè per Pastores & Ludimagistros admoneri possint, quò liberos suos literis minùs aptos, ad officia manuarum, vel alias honestas artes discendas & tractandas adhibeant: atque sic gubernatio Scholarum & Ecclesiarum majore cum fructu committi possit iis, quos DEUS amplioribus ingenii dotibus instruxit.

Denique sit hic ceu scopus omnium vestrarum actionum, ut suam quisque Ecclesiam incorrupto DEI verbo pascat, & quod docet alios, suo etiam exemplo comprobet: omnesq; partes sui muneris ad divini verbi canonem, & ordinationis Ecclesiasticæ præscriptum conformet, adeoque ministerium suum plenè probatum reddat, idq; in gloriam omnipotentis DEI, qui ut Spiritu suo vestris laboribus coelitus benedicat, piis & ardentibus votis intimè precamur.

Vestri in Domino
confratres

Deputati Theologi ad Syno-
dum Dresdensem.

Reverendis,

REverendis, Pietate & doctrina præstantibus Viris,
Evangelium, CHRISTI in inclyto Saxonix Ele-
ctoratu docentibus, suis in CHRISTO fratribus di-
lectis.

SALUTEM IN CHRIS- to perpetuam precamur.

DE quibus Anno abhinc undecimo Do-
mini deputati ad Synodum Dresdensem,
Pastores ac ministros Ecclesiarum in Ele-
ctoratu Saxonico piè ac salubriter monue-
runt, ea jam pridem in usum vocata à plerisq; esse mi-
nimè dubitamus, cùm ejusmodi sint omnia, quæ πρὸς
οἰκοδομήν (ut Apostolus loquitur) hoc est, ad ædificatio-
nem ac incrementum Ecclesiæ, statusq; publici digni-
tatem plurimùm conducunt. Quia verò haud pauci
reperiuntur, qui à tempore divulgatæ Epistolæ ad Ec-
clesiastica munia demum accesserunt, ipsa necessitas
requirit, ut cùm hi ipsi, tum ij quoque, qui sub id tem-
poris Ecclesijs præfuerunt, denuò moneantur, ut quæ-
cunque commonefactioni illi inserta sunt, fideliter ci-
traq; cunctationem executioni mandare annitantur,
ut si quando ad visitationis negocium redeundum erit,
ipsâ re appareat, eos salutaria monentibus promptè
paruisse.

Cæterùm docent Acta visitationum, quæ de volun-
tate Serenissimi Principis Electoris annis proximis
iterùm fuerunt peractæ, aliquàm multa se offerre, quæ
cùm emendatione indigeant, silentio haudquaquam
sint involvenda. Eorum è cumulo pauca quædam ex-

B

cerpta,

cerpta priori Epistolæ subjungere voluimus, minimè dubitantes, Pastores eosque omnes, quibus salus publica curæ ac cordi est, obsequenter facturos, ut tam hæc quàm priora illa citra moram in plurimorum commodum fructuosè instituantur. Mense Aprili, Anno 1610, Dresdæ.

I.

GRavis est admonitio illa Apostoli, Gal. 5. (15) Quòd si vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem absumamini. Quemadmodum enim Pax & Concordia in qualibet Republica præcipuum est vinculum, quo subditorum salus & incolumitas facta tecta asseritur: ita in Ecclesia potissimum ea est vis mutua consensionis Collegarum, ut, si vel minima inter eos, vel in doctrina, vel in moribus ac conversatione quotidianâ, oriatur dissensio, non modò Auditores enormiter offendantur: Sed & religionis puritas apud hostes veritatis malè audiat: quin progressu temporis alter alterum absumat, imò penitus evertat. Accedit, quod laborum Ecclesiasticorum benedictio & Auditorum ædificatio vix speranda apud eos, qui mutuis dissensionibus sive manifestis, sive clandestinis, se invicem lacerant, proscindunt, & persequuntur: Ibi enim Dominus mandavit benedictionem, ubi fratres cohabitant in unum: teste Davide, Psal. 133. 1.

Hoc si pensi hodiè haberent Ecclesiarum ministri, minus profectò dissensionum & rixarum, vel certè minus simultatum inter ipsos glisceret. Testis verò est experientia: Ambitionis stimulis quibusdam in locis Pastores & Diaconos ita exagitari, ut hi illorum honori & dignitati invideant, eorumque luminibus ac commodis, quâ possunt ratione obstruant: illi verò hos, præsertim si docendi donis præditi sint, tanquam æquales ferre non possint. Quæ dissensionum flammulæ plerumque in tristissimum tandem erumpunt incendium, quo Ecclesiæ status satis periculosè concutitur: Adversarijs puritatem Religionis suggillandi occasio præbetur: infirmiores denique gravissimè offenduntur. Dabunt proinde operam singuli ac universi Ecclesiarum Pastores ac ministri, ut extirpatis

tirpatis omnibus privatorum affectuum ac simultatum igni-
culis, mutuae paci ac concordiae studeant, memores, aliquando
gravissimas iustissimo mortalium iudici ac vindici, hujus et-
iam villicationis reddendas esse rationes.

II.

Porrò illud quoq; gravi reprehensione dignum merito
censetur, quòd multis in locis, & quidem illustrioribus et-
iam, tum Pastores, tum Diaconi usq; adeò in officio socordes
& negligentes sunt, ut vel planè nullis evidentibus causis præ-
pediti, vel saltem in privatis, & culinæ magis quàm Ecclesiæ in-
servientibus studijs ac negocijs expediendis occupati, rarissi-
mè intersint Collegarum suorum Concionibus: vel si fortè
templum sub initium Concionis sint ingressi: mox tamè inde,
tanquam canis à Nilo resiliant. Imò Pastores quoq; & Super-
intendentes, quibus tamen inspectio Ecclesiarum & Diacono-
rum est commissa, de Diaconorum suorum concionibus, quo-
modo eæ se habeant, parum sint solliciti. Quæ profectò socor-
dia, præterquam quòd cum enormi offendiculo Auditorum
est conjuncta, morsum conscientiae aliquando talem movere
& excitare potest, ut Minister Ecclesiæ, qui usq; adeò negligè-
ter suo functus est officio, vix sit inventurus, quo facti rationes
sufficientes, tum DEO tum Magistratui reddere possit.

Proindè seriò monentur tum Pastores tum Diaconi, ut quid
hac in parte sui sit muneris atq; officij, assiduè & diligenter co-
gitent. Concionibus omnibus (nisi fortè rationibus justis im-
pediantur) intersint, & suo exemplo tum ad attentionem in-
audiendis concionibus, tum ad studium & fervorem in fan-
dendis precibus publicis Auditores incitent ac inflamment,
memores comminationis Propheticae: Maledictus qui officij
um negligenter fecerit: Jerem. 48. (10)

III.

Non probamus consuetudinem eorum, qui temerè
nac citra evidentem causam quibusvis permittunt sug-
gestum conscendere ac conciones habere ad populum. Res
enim docet, multos esse, cui vix à primo limine studium

Theologicum salutarunt, adeoque verum ac genuinum concionandi modum ignorant, aut certe parum convenienti habitu ad dicendum prodeunt. Sanè tales qui sunt, non modò ad ædificationem Ecclesiæ nihil conferunt, sed pios quoque vehementer offendunt & sacrum concionandi munus propemodum in contemptum adducunt. Monemus itaque Pastores eorumque Collegas, ut concionandi partes suo quisque loco, fideliter ac rectè ipsimet obeant, nec ad concionandum quenquam admittant in posterum, nisi qui probè instructus sit rerum sacrarum cognitione ac Præceptorum testimonijs, seque Consistorio, cui subest, modestè indicet, ut in doctrinam, vitam ac mores ipsius accuratè priùs inquiretur. Sint potiùs authores ijs qui vel in Scholis docent, vel pueros fidei suæ commissos ad pietatem, virtutem & literas domi atque in umbrâ informant, ut legeudo, meditando, discendo, orando, ad munia Ecclesiastica se præparent, adeoque tempus illud patienter & in Spiritus humilitate expectent, quo ad functiones sacras legitimo modo adhibeantur.

IV.

Tanta hodie locis omnibus morum ac vitæ corruptio est, ut non pijs solùm, sed & ipsa propemodum natura rerum ingemiscat, videaturque extrema ac fatalis quædam imminere rerum omnium conversio, multis auditorum perperã cogitantibus, egregiè se defunctos suo munere, si ore tenus fidem jactent, ac scripturæ quædam dicta de ineffabili DEI misericordia, ac gratuitâ hominis peccatoris receptione demurmurare norint, licet interim vitam suam turpiter & ad infamiam usque coinquent.

Meminerint igitur Pastores, ita annunciandam esse perterrefactis mentibus doctrinam Gratiæ, ut simul Legis mucrone præfractos ac improbos (quorum ingens ubivis numerus est) sauciant ac perterreant, adeoque Christi & Baptistæ exemplo prædicationem Poenitentiae graviter urgeant, istud auditorum animis inculcantes, Fidem, qua iusti reputamur coram DEO, fructus bonos ex se fundere, inque opera erumpere, quæ secundum DEUM facta sunt, ut Christus Johan. 3. loquitur. Qui id negligit, ac legis fulmine peccantes non coercet, is omnino

mnino ad se pertinere sciat id, quod apud Ezechielem cap. 33.
ignavis speculatoribus Dominus comminatur inquit: Si
me dicente ad impium, Impie morte morieris, Tu ei non fue-
ris locutus, ut se custodiat a via sua, ipse quidem impius in ini-
quitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua re-
quiram Expendatur quoq; Caput 56. Esaiæ ver. 10, 11 & illud
Apostoli: Prædica verbum, in sta opportunè, importunè argue,
obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, 2. Tim. 4. Vi-
deatur & Judæ Epistola ver. 22. 23.

V.

Cum magna vis esse possit scandalorum, tam apud
firmos, quam infirmos in fide, præsertim si ea proficiscan-
tur, vel ex vita ac moribus, vel ex habitu sive vestitu minùs ho-
nesto ac decente Pastorem ac inspectorem Ecclesiæ: operam
utiq; illi enixè dabunt, ut non modo ipsi per se, sed & uxores,
liberi, ac universa familia pietati, humilitati ac modestiæ, in
omnibus vitæ partibus studeant: cum primis autem ab omni
luxu in vestitu abstineant: memores fulminis illius Salvatoris:
Væ homini per quem venit scandalum: satiùs ipsi foret, ut in
abyssum maris præceps daretur. Et illius Apostolici, 1. Tim. 3.
Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, liberos habentem
subditos, cum omni modestiâ: similiter & uxores pudicas, mo-
destas, fideles in omnibus &c. Et 1. Pet. 3. Mulieres sint subditæ
viris suis, sectantes sanctam conversationem, quarum ornamẽ-
tum non sit exterior capillatura, aut circumdatio auri (& gem-
marum) aut cultus vestimentorum, sed homo absconditus
cordis, in incorruptione mansuetudinis, & quiete Spiritus, qui
in conspectu DEI sit multùm perfectus.

VI.

Norunt hand dubie Pastores atq; Inspectores Eccle-
siarum, Scholas oppidanæ, vel nostræ adhuc memoriâ vir-
tutis ac literarum officinas fuisse, in primisq; salutaria quædam
της θεογνωσίας παιδείας: optandumque foret, ita eas vel ho-
diè instructas atque constitutas esse, ut ad Christi Ecclesiam
civilemque vitæ consuetudinem amplissimi fructus ab illis ex-

expectandi essent. Verùm tanta, proh dolor, rerum omnium ac disciplinæ in primis diminutio facta est, ut adolescentibus, qui studiis hoc tempore invigilant, nihil videatur esse dissolutius. Et quod in primis reprehensione dignum est, præceptores reperiuntur adeò officij sui immemores, ut quemvis discipulum suis sinant uti moribus, nec corrigere studeant, si quid ab eis delinquitur, sed omnia omnibus permittant. Velamen quidem ignaviæ huic, imò verò ineptæ facilitati obtendunt, affirmantes, Bonæ indolis pueros sponte officium facere, improbos verò nulla ratione emendari: Verùm secus res habet: Nam & probi qui sunt, licentiâ deteriores fiunt, Improbi verò Disciplinæ sanctioris beneficio in virtutis cursum aliquando revocantur. Hanc igitur qui negligunt, ac juventutem suo ferri sinunt impetu, non præceptores, sed (sit dicto venia) depopulatores ingeniorum æstimandi sunt, quibus ob id grave suis temporibus Judicium subeundum erit, à quo neq; inspectores ipsi immunes erunt, qui ferre non possunt, ut disciplinæ arctioris freno puerorū improbitas coërceatur. Rectè omninò Proverbiorum liber cap. 22. Stultitia, inquit, colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Et memorabile est illud Senecæ: Qui non vetat peccare, cum possit, jubet, Et alterum: Bis peccat, qui peccanti obsequium accommodat. Monemus itaq; eos qui Scholis præsunt, ac inspectorum munia sustinent, ut pristinam illam severioris Disciplinæ rationem in usum revocare omninò studeant, ne stulta eorum facilitas necessitatem tandem imponat superioribus submovendi ejusmodi magistros, qui pueros fidei suæ depravari, planeque intransversum agi patiuntur. Rectè Cyprianus, Disciplina, inquit custos spei est, fidei retinaculum, dux itineris salutaris, magistra Virtutis.

VII.

VTINAM verò & à parentibus obtineri posset, ut liberos majori curâ ad pietatem, modestiam ac mores bonos informarent: minus profectò improbitatis foret in omnibus vitæ

vite ordinibus. Verum quia plurimi admodum oscitant
officium faciunt, adeoque per turpem ac cunctis seculis inau-
ditam indulgentiam ad omne genus nequitiae fenestram libe-
ris suis aperiunt: operam dant Pastores, ut cum ipsi filios
habeant morigeros cum omni honestate; tum Parentes ad
idem praestandum salutaribus monitis flectant, saepe multum-
que animis ipsorum infigentes id, quod vox divina praecipit:
Acues verba legis hujus filiis tuis, & loqueris de eis sedens do-
mi & ambulans in itinere. Et 4. Capite, Docebis verba & a-
cta mea filios tuos & nepotes tuos. Ad quae porro ea Spiritus
Sancti oracula referantur, quae liberorum contumaciae frenum
injectum volunt, ut cum in Epistola ad Ephesios 6. dicitur, Pa-
tres educate liberos vestros in disciplina & correptione Domi-
ni. Et libro Proverbiorum, capite 22. & 23. Noli subtrahere
a puero Disciplinam: Prout enim adsueverit quis in pue-
ritia, talis erit in senectute. Et rursus, Virga atque correptio
tribuunt Sapientiam, Puer autem relictus voluntati suae con-
fundit matrem suam. Quibus verbis Scriptura indicat, filios
improbos non solum dedecori esse parentibus, sed plerumque
etiam ignominiosam morte perire. Sed & illud observetur pa-
rentum animis, quod Siracides cap. 30. monet, inquit, Ne
indulgeas filio tuo in pueritia, nec excuses stultitiam ejus: In-
curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum pu-
er est, ne forte praefractus fiat ac contumax, (& quae sequun-
tur.)

IIIX.

In more nonnulli positum habent, ut si quando Pastores
in oppidis aut pagis ritu publico in sacri muneris admini-
strationem immittendi sunt, ut plurimum diebus Dominicis
illud peragant, ex quo id incommodi enascitur, quod Conci-
ones interim alijs domi demandandae sunt, haud absque pio-
rum offendiculo, qui commodiore tempore institui nego-
cium illud recte arbitrantur. Accedit quod integrum saepe
biduum actui illi publico impenditur, inque coenas &
prandia

prandia sumptus immodici sunt, quibus non raro Ecclesiastici reditus exhauriuntur, aut certè mirum in modum affligitur ac oneratur populus. Et quod multò etiam indignius est, non desunt, qui in quasvis occasiones intenti sunt, ut evagari creberrimè, ac neglectis officij sui partibus, cum familia, quam secum trahunt, splendidè *ἐνωχέειν* ac genio hilariter indulgere queant. Miramur talia in eos cadere, qui ad omne pietatis, virtutis atq; officij decus Duces ac Magistri alijs esse debebant. Verùm ea seculi hujus infelicitas est, ut pauci admodum, quid officij sui sit, animis secum expendant, adeoque levi occasione aliò sese abripi patiantur. Hortamur itaq; Superintendentes eorumq; Adjunctos, ut Investituras, quas vocat, profectis potius diebus instituant, inque suscipiendo Visitationis negotio, ac ærarij Ecclesiastici rationibus cognoscendis (quæ cum ipso visitationis actu omninò conjungendæ erant) eum observent, ac teneant modum, ne quid concioaum domi negligatut, nec sumptus nimio onerentur Ecclesiæ.

Scimus quidem, haud paucos esse qui officium suum rectâ conscientia ac fide eâ, quæ DEO, quæ Magistratui, quæ Ecclesiæ debetur, tam his quàm alijs in rebus præclare faciunt: quos etiam amplissima, ac nullo ævo finienda in Cælis olim expectat compensatio: At quia tamen reperiuntur, qui velut aliud agentes ab officij tramite nonnunquam deflectunt, cohortandos illos censuimus, ut ad DEI in primis gloriam, ac salutem Ecclesiæ, citra questus ac emolumentum proprij respectum, in muneris sacri administratione piè ac laudabiliter deinceps versentur.

Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut excellatis, 1. Corinth. 14.

57037 104

M



fasti-
fligi-
is est,
agari
quam
lgere
tatis,
bant.
quid
fione
entes
poti-
io,ac
fovi-
ent
, nec

m re-
e Ec-
iunt
lim
lut
, co
ac fa-
pe-

CX-

M

ULB Halle 3
004 950 445


VD17





ac dilig
cem pr
ad cuju
compo
studioc
nis: Est
vitæ: A
P
correct
mus, q
remus.

Prim
ta lib
memore
4. Hinc
sunt, ex h
non inve
troverijs
cognitio
grini.
fit, mone
Scriptoru
finant, &
dant, & u
Visitation
sua inspec
Scriptis ab
fertim Co
cerint, ut
non solùm
à quovis C
sed insupe
tes, & os il
capitibus p

ndam ceu fa-
n exhibere,
e suæ rationes
eperunt fide
æ promissio-
tibi coronam
quæ omnino
e non potui-
vos admone-

es, qui seposi-
æcepti parùm
étrinæ 2. Tim.
is etiam notæ
deant, apud se
pueri, in con-
, & quarum
pites ac pere-
llo modo pos-
orum, dehinc
endatam esse
rem sibi red-
cti in speciali
esiæ Ministri
blijs; quid in
gustana præ-
rint aut didi-
scitentur, &
re (hoc enim
lus exigit.)
ontradicen-
cæ doctrinæ
em, adversus
irruen

